



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs  
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Extra unitatem Ecclesiae catholicæ an verum Euangelium, scriptura &  
Sacramenta habeantur. tit. 16

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

## TITVLVS XVI.

47

Prius oportet esse in Ecclesia, qui promissis uti  
vult Ecclesiæ, inquit Cyprianus de simplicitate præ-  
latorum.

*EXTRA VNITATEM ECCLÆ-  
SIE Catholice an verum Euangelium, scri-  
ptura & sacramenta habeantur.*

## TITVLVS XVI.

**R**imò, magna hæc quæstio est, & apud veteres patres plurimum agitata. Ac primò inquit Cyprianus in tractatu de simplicitate prælatorum: Dominus quando loquitur, id est, in sacro Euangeliō aliquid promittit, vel remissionem peccatorū, vitam æternā, custoditionem, spiritum sanctum, &c. aut dat potestatem baptizandi, consecrandi, absoluendi, docendi Euangeliō, &cæt. ad hos loquitur qui sunt in Ecclesia Catholica, & non qui foris sunt, non Iudeo, Gentili, aut Hæretico loquitur, sicut Paulus 1. Corinth. 5. inquit, se loqui & docere eos qui in- tū sunt, id est, in Ecclesia. De his inquit, qui foris sunt, iudicabit Deus Vos. Quoties ergo qui extra Ecclesiam sunt, sibi vendicant sacerdotij officia, id est, absoluunt, communicant, baptizant, docent, prædicant Euangeliō, & sacramenta administrant, totiès abutuntur scriptura & sacramentis: sicuti simia facit quæ homo, & tamèn homo non est. Igitur sine efficacia est talis medicina, quæ sine effectu est salutis. Proinde 1. Ioan. 2. dicitur: Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, id est, Ecclesia. Si enim fuissent ex nobis, ubique nobiscum permanissent: sed ut manifesti fierent, quia non sunt ex nobis, ideo recesserunt. sic 2. ad Timoth. 1. scias quod à me auersi sunt omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Philetus & Her-

Dd 2 mogenes,

mogenes. Recessit Iudas ab Apostolis, Matth. 26. Caper naitæ à Christo, Ioan. 6. sed nunquid in recessu eos sequutæ sunt promissiones Euangelicæ, & beneficia Christi, scriptura, Euangeliū? Non puto. Reliquerunt, inquit Cyprianus, caput & originem veritatis: id est veritas solum manet apud constantes, apud oves Christi manet veritas scripturæ, verus virus sacramentorum & efficax. Qui igitur in Ecclesia non sunt, aut ab ea recesserunt, ab illis recessit & gratia, sicut patet de seruo nequam, Matth. 18. Licet igitur sit verum, quod amissa gratia iterum potest per pœnitentiam & reconciliationem Ecclesie recuperari, sicut filius prodigus rediit ad patrem, Luc 15.

Sed quare non est efficax illorum ministerium, sermones, sacramenta, cultus &c? Respon. Cyprianus, quia nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt sine diuina vocatione & dispositione, id est, non per ordinariam potestatem, sed se ultra apud suos temerarios conuenas preſcipient, sine commissione in ouile Domini irruunt, & sedes pestilentiae sibimet constituant, & de illis dicit Propheta Ierem. 14. Non misi eos, & non precepī eis, neque locutus sum ad eos, falsa prophetant in nomine meo &c.

At dicunt, Apostolus elegit nos. Respon. Apostolus 2. Timo. vlt. prohibet talibus adhærere inquiens: Veniet tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt &c. Deus potestatem constituit, & illam honorauit efficacia: si quis extra potestatem quid presumperit, Deus non approbat, sicuti nec Dathanis, Abironis &c. institutum, Numer. 16.

Eandem causam tractat Augustinus primò tribus libris contra Epistolam Parmeniani Donatistæ Carthaginensis Episcopi. Item libris 7. contra Donatistas, Item libris 4. contra Cresconium grammaticū, Item libro ynico, quod non vterentur sacramentis,

ad con-

ad concordiam, sed potius discordiam. De baptismo contra Petilianum, capit. 9. eiusdem libri, concludit, dicens: Hoc facimus, hoc à maioribus traditum acceptimus, hoc in Ecclesia catholica, quę toto orbe diffunditur, contra omnes nebulas falsitatis custodimus: si quis extra Ecclesiam fuerit baptizatus, inesse quidem illi baptismum, sed non prodeste propter labem schismatis & discordiae. Et lib. 2. contra Doctrinistas de Baptismo cap. 11. inquit: Hoc maximè viri sectarios omnes, quod non permittimus illos fore Ecclesiam.

Secundò inquires: Hoc esset terribile auditu, quod tanta multitudo hominum non debeat esse de Ecclesia: aut quod omnia sacramenta, opera, cultus essent sine effectu gratia apud illos, sicut medicina absque effectu sanitatis. Respondeo: Primò, multitudo non probat, quod ideo sint de Ecclesia, quia illorum multi sunt. Maior est numerus infidelium, quam fidelium, propterea non saluantur. Dedit Deus potestatem per fidem filios Dei fieri, Ioan. 1. Qui ergo credit, id est, unusquisque pro se, hic non damnabitur, Ioan. 3. Qui vero non credit, damnabitur, siue sit apud maiorem, siue minorem cōgregationem. Terribile fuit audire, quod in diluvio preter octo homines, omnes ceteri perierunt, Genes. 7. Attamen verum est. Terribile est audire, quia multi vocati, pauci elesti, Matth. 20. Item terribile est audire, quod de sexcentis milibus virorum, solum duo viri, Iosue & Caleb, introierunt sanctam terram, Num. 14. Attamen verum est. Item terribile est audire, quod Deus quotidiē nasci facit tot homines in mundo, & tamen omnes vult damnare, exceptis credentibus & baptizatis, Marci ultimo. Ideo Deus facit tibi prædicari periculum illorum, qui extra Ecclesiam sunt, ut terraris manendo in unitate, vel reuertaris. Si cui plus placet mundus, ille suo videat periculo.

Dd 3 Et

Et si obijcis, Quid ad hoc possunt paruuli, ignari  
huius vnitatis catholicæ, quos in secta parentes nu-  
triunt & instituūt? nunquid illos innocētes & Deus  
puniet? Respon. Quid possunt ad hoc paruuli, quod  
nascantur in peccato originali? attamen nisi bapti-  
zentur, damnatur etiam alieno peccato. Sic paruuli  
nisi redierint ad vnitatem Ecclesiae, saluari non pos-  
sunt. Vnitas ergo requiritur ad Ecclesiam catholi-  
cam, non ergo in cuiusque arbitrio est dicere senten-  
tiam, An sit in Ecclesia an non, potestas enim conci-  
lij sententiam profert &cæt. Summa, inquit Augu-  
stinus, quicquid boni adfert sacramenti, orationis,  
operationis bonitas, illicò tollit schismatis impietas,  
August. lib. 1, contra Donatistas, cap. 8.

Tertiò, Hoc quoque tenent omnes doctores cum  
Ecclesia catholica, quod Euangeliū tunc est ver-  
bum Dei, quādō catholicè ad mentem Christi & Spi-  
ritus sancti, qui hoc reuelauit, annuntiatur: si autem  
ad alium sensum torqueatur, quām Christus vult,  
& Ecclesiæ suæ ab initio reuelauit, non est Euange-  
liū. Non ergo literalis textus sufficit, nisi & mens  
Christi habeatur, id est, interpretatio scripturæ iuxta  
mentem capitii Christi. Augustinus Epistola 58, de  
hereticis omnibus loquitur dicens: Illi loquuntur  
proprij spiritus concepta & glossas, quæ non vide-  
runt, id est, didicerunt ab Ecclesia catholica, quibus  
corda simplicium inficiunt, sed non tenent caput, id  
est, mentem & intellectum Christi: Aliter interpre-  
tantur verba scripturæ, quām ipse voluit. Ideo Apo-  
stolus ad Coloss. 2, admonet, dicens: Videte ne quis  
seducat vos per Philosophiam, id est, aliam doctri-  
nam, quām Euangeliū Christi in re salutis. Nam  
Aristotelica Philosophia non docet Christum, neque  
Gentilium libri. Neque quis seducatur inani falla-  
cia, secundum traditionem hominum, id est, secun-  
dum glossas proprij capitii, vt heretici faciunt, qui  
non

non secundum Christum, id est, ad mentem Christi docent, & interpretantur verbum DEI, ideo Euangeliū non catholicē denunciātum, & ad mentem CHRISTI, non est dicendū Euangeliū. Sic Arrius habuit verba Euāgeliij, Ioan. 14. Pater maior me est: quia Christus sic voluit intelligi, quod in comparatione diuinitatis & humanitatis maior esset diuinitas: sic vadit iuxta humanitatem ad patrem, apud quem secundum diuinitatem fuit ab æterno, Ioan. 1. In principio erat verbum. At Arrius sic glossauit, Pater maior me est, id est, Pater Deus est, Ego non sum Deus, sed creatura, &c. Hęc non fuit intentio Christi, qui vbiq; contendit cum ludgis, se esse filium Dei, & missum à patre in mundum, Ioan. 8. & 15. sic eorā Caiapha fatur se filium Dei, Matth. 26. Iea Christus dicit Mat 26. Hoc est corpus meum, id est, verū & viuum, quod pro vobis traditur, &c. hęc est intentio capitū Christi. At Vuileff hæreticus eadem verba Euangeliū habet, sed aliam glossam singit, id est, hic panis designat, figura est corporis mei, nō autem verum corpus Christi: hanc interpretationem Christus nunquā voluit. Ideo licet hæreticus habet verba Christi, quia tamen aliam mentem & glossam à mente Christi habet, ideo hęc verba non sunt Euangeliū, nec in Euangeliō scripta.

Anabaptistæ habent verba Euangeliū, Marci vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Hęc verba dixit CHRISTUS vniuersaliter, neminem excludendo, siue adultum, siue parvulum. Nam ipse dat gratiam credendi & donum, sicut sanctificatus fuit Ioannes in utero materno, Luce primo, & Hierem. 1. licet postea usus fidei sequatur. At hæretici prius volunt, ut baptizandus doceatur: Primum credat antequam baptizetur, & licet hoc in adiutis conceditur, non tamen parvulis. Nam & parvulos iussit venire ad se, Matth. 19. Et increpauit

Dd 4 dicitur

discipulos, qui per hoc nitebantur &c. Ergo non habent Euangelium.

Cum Paulus disputaret cum Iudeis de causa iustificationis, Iudei dicebāt, quod opera legis: Paulus vero, quod fides sine operibus legis esset causa. At iam à modernis sic glossatur Paulus, quod in vniuersum opera bona reiecerit, tanquam nihil faciant vel ad iustificationem vel salutem, sed sola fide impetrari haec omnia. At hoc Paulus non dicit Roman.3. qui per fidem statuit legem. Et Galat.5. vult fidem operari per dilectionem. Ergo non habent Euangelium, qui de sola fide gloriantur.

Ita interpretantur scripturam sectae ad suam mentem, & non ad sententiā Ecclesiæ, de sacerdotio, traditionibus humanis, &c. sed quia non habent glossā Ecclesiæ catholicæ, ideo non habent Euangelium, nec eorum conciones sunt reputandæ pro vero Dei verbo: non enim recte nunciant mentem Dei, sicut ille præceptum est. At inquires, Nos reputamus nostrā interpretationem esse veram, & populus plus nostrę interpretationi assentit &c. Respon. ex 2. Petri 1. Non est priuata interpretationis scriptura, & cæt. Christus constituit pro iudice Ecclesiā, Matth.18. et hanc iubet audire. Illius est interpretari, cuius glossa vera sit. Haec est basis veritatis, 1. Timoth 3. non inconstans, ut sectæ, & cæt. Summa, qui extra Ecclesiam vuntur scripturis, & usurpant sibi ministerium docendi, administrandi sacramenta, sine ordinatione ordinaria, aut qui alium intellectum faciunt scripturæ, aut verbo Dei, illi nihil faciunt utiliter nec habent Euangelium, quia non habent caput, id est, mentem Christi. Hic ergo status est apud Ecclesiam catholicam: Nec schismatici vuntur scriptura ad unitatem sarcinendam Ecclesiæ, eamq; reformatam, sed ad discordiam seminandam, & odium excitandum ac stabilendam suam sectam. Ideo grauissimè peccant, 1. Ioan.4.

S. Iudas

S. Iudas in sua canonica dicit, quod secte habent alios patres & magistros quos sequuntur, quam quales habet Ecclesia Catholica, scilicet Cain, Balaam, & Chore: nam omnis haereticus in via Cain ambulat contra Catholicum fratrem: deinde habent illi magistri potentum suorum patrocinia. Nam nulla haeresis posset stabiliri, si non haberet quosdam tutores seu promachos qui defenderent illam, sicut rex Balach conduxit Balaam prophetam, ut malediceret filios Israël & religiosos, sed sicut non potuit Balaam quicquam contra Deum, sic nec illi. Postremò sicut Chore fecit seditionem contra ordinariam potestatem, ita & ipsi per seditionem omnia volunt obtinere. sic proprias faciunt leges, dogmata, cæremonias &c. Num. 16, sed ut isti corporaliter, sic hi Spiritualiter peribunt.

*AN SUFFICIAT, SOLUM CREDERE, Christum pro nobis natum, crucifixum, resurrexisse, &c. ad salutem, sine dilectione & opere.*

## TITVLVS XVII.

**D**icitur doctrina mundi iam est, quod fides illa, quæ solū credit Christū pro nobis passum & resurrexisse, &c. illa sola sufficit ad salutem & iustificationem sine dilectione & proprio opere. Nam Paulus dicit, Rom. 4. Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Ideo nihil amplius indiges, nisi solum hoc credere: Christus omnia expedivit, & nihil amplius nisi fidem exigit, ut hoc credas.

Item quicunq; firmiter credit & pro certo statuit, sibi remitti peccata propter Christum, & quod vitam æternā sit possessurus, ille iustificatur & saluatur si-

D d 5 ne pro-